



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De institutione baptismi. F. G

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

Christi, baptizat in nomine trinitatis, quæ ibi intelligitur. Tutius est tamē tres personas ibi nominare, ut dicatur, in nomine patris, & filii & Spir. S. non in nominib. sed in nomine, i. in inuocatione, vel confessione patris & filii & Spir. S. Inuocatur enim ibi tota trinitas, ut inuisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministerium. Si autem dicatur in nominibus, non est ibi sacramentum, quia non seruetur forma baptismi.

*De institutione baptismi.* F

De institutione baptismi quando cœpit, variaz sunt æstimationes. Alii dicunt tunc esse institutū, cum Nicodemo Christus ait: Nisi quis renat<sup>9</sup> fuerit ex aqua & Spir. S. & c. Alii dicunt institutionē baptismi factā, cum Apost. dixit. Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & Spir. S. Sed hoc dixit eis post resurrectionem præcipiens eis de vocatione gentium, quos ante passionem binos miserat ad prædicandum in Iudæa, & ad baptizandum, dicens. In viam gentium ne abieritis. Iam ergo institutus erat baptismus: quia baptizabant simul & prædicabant.

Ioan 3:  
Luca 10. A  
& b  
Marth 10. A  
& b

*De forma in qua baptizauerunt Apostoli ante passionem Christi.* G

Si verò quæritur, in qua forma tunc baptizauerunt Apostoli? Sane dici potest, in nomine trinitatis sc. in ea forma in qua baptizauerunt postea gentes: quæ ante passionē potest intelligi fuisse tradita, licet nō sit scriptū. Non ergo tunc illā formam Christus prius tradidit, cum ad euangelizandum gentib. misit: sed quā ante tradiderat mittens eos in Iudæā, post iterauit cum ad gētes misit. Cōmodius ergo dicitur institutio facta, quādo Christus à Ioan. baptizatus est in Iordane: quod dispēsauit, non quia mundari voluit cum sine peccato fuerit, sed quia cōtactu mundæ carnis suæ vim regeneratiuā contulit aquis, ut qui postea emergeretur in-

Matth. 3. 6

Yy a uoca-

uocato nomine trinitatis, à peccatis purgaretur. Tunc ergo inuocato nomine trinitatis institutum est baptismus Christi: in quo trinitas, cuius mysterium ibi innotuit, interius hominem baptizat.

*Quare in aqua tantum fiat.*

Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, vt ait Christus, Nisi quis renat<sup>9</sup>, &c. Ideoq; vniformiter id fieri in aqua precipitur, vt intelligatur, quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit: ita baptismus maculas animæ, sordesq; vitiatorum emundando abstergit. Vnde ideo vt nullū inopia excusaret: quod posset fieri, si in vino vel oleo fieret: & vt cōmunis materia baptizandi inueniretur apud omnes: quod aqua significauit, quæ de latere Christi manauit, sicut sanguis alterius sacramēti signū fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari baptismus nisi in aqua.

*De immersione quotiens fieri debeat.*

De immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat præcise respōdemus, vel semel vel ter, pro vario more ecclesiæ. Vnde Greg. De trina immersione baptismi nil verius responderi potest: quam quod vos ipsi sensistis, quia in vna fide nihil officit ecclesiæ sanctæ cōsuetudo diuersa. Quia n. in tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullaten<sup>9</sup> potest infantē in baptismo ter vel semel immergere: quia & in tribus mersionib. personarū trinitas, & in vna pōt diuinitatis singularitas designari. Nos vero qui tertio immergimus, etiā tri-duanæ sepulturæ sacramētum signam<sup>9</sup>. Secundum hoc licet non modo ter, sed etiā semel tantum immergere. Ibi tamē duntaxat immergere nō semel licet vbi cōsuetudo ecclesiæ talis existit. Si quis vero id facere incipiat, vbi cōsuetudo talis nō est, vel semel tantum mergendū asserat, reprehensibile se cōstituit. Vnde Haymo, In suo sensu abūdabat Cyprian. cum semel mergebat in baptismo paruulos:

quia

*Ioan. 19. f*

*Leandro Episc. ep. 41. l. ad medium. Ibid. paulo superius.*

*Ibid paulo superius.*

*Super epist. ad Roman. super illud c. 14. Vnusquisque in sensu suo.*